

nactus, hilaris ac festinabundus e scalis delabor potius quam descendo. Thesaurum a me subductum crederes : et quid ni? Thesaurus est et quocunque regio ditior atque optabilior. Hinc, sed vide rursus quam probus sim, quamque prodigus : ne solus invento aut, si mavis, sublato fruerer, publici iuris facere illico decrevi. Et quia plurimum tibi debeo, tibi talium divitiarum avido transmitto. Queretur Allatius. Nil moror; et, si repetundarum me postulaverit, libentissime restituam, et eius compendio. Nam quæ exarata manu erant, typis edita et tuo nomine decorata recipiet. Sed interim caveat ne scrinia, quæ similibus gazis crepant, evacuem, compilem. O quantum de Orbe literario bene meritum me crederem, si rapinas hasce continuarem! Nec despero : eoque alacrius hoc, si qua potero, aggrediar, quo doctos illustresque homines, et te potissimum doctrinæ et generis nobilitate conspicuum, suffuranti, sed non plagiario, patrocinatorum confido. Vale, mi Anfrane, et qua soles, senio inter adversa confectum, animi benignitate, eum amplexari ne desinas, qui iandiu est, eritque dum vivet, Dom. Tuæ Illustr. observ.

Andreas PESCHIULLIUS.

Romæ, Kal. Apr. 1668.

Imprimatur. Si videbitur Reverendissimo Patri Mag. Sacri Pal. Apost.

M. Episc. Arimin. Vicesg.

Imprimatur. Fr. Hyacinthus Libellus, Sacri Palatij Apostolici Magister.

LEONIS ALLATHI ΣΥΜΜΙΚΤΩΝ ΣΙΒΕ ΟΡΥΣΧΥΛΟΡΥΜ
 ΓΡÆΟΟΡΥΜ ΕΤ ΛΑΤΙΝΟΡΥΜ ΒΕΤΥΣΤΙΟΡΥΜ
 ΑΟ ΡΕΟΕΝΤΙΟΡΥΜ

LIBER PRIMVS
 in quo continentur

Ioannes Phocas de locis Antiochiam inter et Hierosolymam,
 nec non Syriæ, Phœnicinæ et Palæstinæ. Græce et latine.

